

1509

*Veneta clas-
sis ad Pa-
dum capta
& incensa.
XII. kal.
januar.*

Padus interim, aucto Gallicis repentinis imbribus flumine, ut summas plane ripas adæquaret, pontem, qui minoribus erat navibus impositus, aquarum violentia disjecit. Angelus, trajectu ne careret, triremes, uti antea fecerat, contra cursum fluminis iterum firmavit, quæ pontem sustinerent. Hostes autem ubi viderunt fluminis incremento triremes alte sublatas pulcherrime tormentorum pilis objici, prima nocte magna cum manu Ferraria egressi ad ripam contenderunt, tormentisque plurimis adductis naves impeditas verberare ex aggere ictibus creberrimis cœperunt: neque prius destiterunt, quam classe pene universa perforata & disiecta, Angelus, qui somno expergefactus suo se lectulo ejecerat, cum signo aureo, ne hostes eo potirentur, publicisque literis, tum ductores reliqui cymbis navium excepti fuga salutem peterent. Remiges se flumini omnibus e navibus dederunt: adversamque ad ripam delati magna pars ad Gradonicum se receperunt. Una triremis primo adventu per remos, qui aggerem contingebant, ab hostibus ad ripam attracta, cum hominibus non paucis est capta: ipsi omnes imperfecti. altera succensa est. Ex omni classe triremes duæ navigiaque minora aliquot secundo se flumine demiserunt, ad finesque reipublicæ nullo accepto detimento redierunt. tres depresso interierunt: munitione cum plurimorum remigum & militum interitu hostes potiti: triremes novem Ferrariam sunt perductæ. Ea clade Patres cognita, evestigio literas dederunt cum ad Gradonicum legatum, si hostes Padum trajicerent, interiorum Athesis fluminis ripam interscinderet, ne Rhodigium possent accedere; ipse se in tutum cum iis quas haberet copiis reciperet: tum ad legatos Grittum & Marcellum, qui erant in exercitu ad municipium Leonicænorum, ut aliquid copiarum auxilio ad Gradonicum mitterent, quo se facilius finesque illos ab hostibus victoribus tueri posset. Scripsere etiam ad Fossæ Clodiæ magistratum: cymbas juberet Padum ingredi, quæ fugientes reciperent, & si qui se in sylvas aut paludes abdidissent, perquisitos repertosque sublevarent. Datæ insuper ad Joannem Mau-

rum